

esse potest intensive infinita, superest, ut sit infinita extensive, videlicet infinitae aut aeternae durationis. Verum hæc alterius loci sunt.

## ARTICULUS IV.

## Utrum rationalis anima sit ejusdem perfectionis specificæ, ac angelus.

220. In his, quæ hactenus demonstravimus in hoc capite, convenit anima rationalis cum angelo, quem pariter substantiam esse simplicem, spiritualem, immortalem, certissime constat. Quæret itaque quispiam, utrum in eadem specie cum angelis constituenda sit anima humana: vel si quis tot esse angelorum species, quot individua, cum Thomistis existimaverit, utrum habenda sit tamquam una species generis angelici. Animam et angelos ejusdem esse speciei voluit Origines, ut superius retulimus, cum refellerem sententiam transmigrationis animarum (1), Gregorius autem Venetus tenuisse dicitur (2), rationalem animam angelica natura perfectiorem esse, innixus potissimum perfectioni animæ Christi, Domini nostri. Sententia vero communis et vera est rationalem animam specie differre atque imperfectiorem esse angelica substantia (3). Ne tamen in ipso limine quæstionis subeat animum tuum scrupulus ille, qui veteres quoque nonnullos vexavit (4), videlicet, cum anima utpote substantia incompleta, nec sit directe in prædicamento, nec proprie habeat speciem, perperam quæri,

Varie  
sententia.

Notandum.

(1) Vide supra num. 109, pag. 552.

(2) *De harmonia mundi*, canticum 3.<sup>o</sup>, tom. 3, cap. 2, apud Conimbricenses, *de anima separata*, disp. 1, art. 5.

(3) Vide S. Thom. (1 p. quæst. 75, art. 7; 2 dist. 3, quæst. 1, art. 6; quæst. *de anim.*, art. 7; *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 94), Alexandr. Halensem (2 part. quæst. 20, membr. 5), S. Bonaventuram (2.<sup>a</sup> dist. 1, *secunda pars* art. 3, quæst. 1), Scotum (2.<sup>a</sup> dist. 1, quæst. 6), Suarez (*de Angelis*, lib. 1, cap. 1) Conimbricenses (*de anima separata*, disput. 1.<sup>a</sup>, art. 7) etc.

(4) Vide S. Bonavent., loc. cit.; et S. Thom. 2.<sup>a</sup> dist. 3, quæst. 1, art. 6.

utrum in eadem sit specie cum angelo; respondebo movendas non esse lites de voce. Sensus quæstionis est hic, utrum anima rationalis et angelus habeant entitates ejusdem perfectionis essentialis, et solum accidentaliter differant, an vero discrepent differentis essentialibus, quæ in completis substantiis adjectæ rationi genericæ species constituere dicuntur.

221. PROPOSITIO. Anima rationalis specificè differt ab angelica natura, eidemque in perfectione cedit.

Prima pars: *anima rationalis specificè differt a natura angelica*. Probatur 1.<sup>o</sup> anima rationalis est substantia incompleta; angelus vero completa, ut suppono ex his, quæ docent Theologi. Atqui substantia essentialiter incompleta et essentialiter completa differunt specificè, habent etiam latissimum discrimen. Ergo... Nec, dicas massam aquæ et partem ejusdem massæ discriminari, ut completam et incompletam substantiam, et nihilominus ad eandem pertinere essentiam.—Nulla enim est paritas: pars massæ aquæ non est *essentialiter* incompleta, eadem enim absque ulla sui mutatione substantiali potest esse incompleta et completa, prout sit toti massæ conjuncta integraliter, vel ab eadem divisa. Anima vero rationalis, sive unita sit corpori, sive separata, semper est de se incompleta natura; dum angelus, utpote nullius capax substantialis compositionis, essentialiter est natura completa.

Rationalis  
anima  
specificè differt  
ab angelica  
natura.

Prob. 2.<sup>o</sup> Anima rationalis est forma substantialis corporis, quemadmodum postea demonstrabitur. Atqui angelus nequit esse forma substantialis ullius materiæ vel corporis. Ergo...

Prob. 3.<sup>o</sup> Unde anima rationalis et angelus quivis magis discrepant, quam angeli diversarum inter se specierum. Ergo necesse est dicere animam rationalem non convenire specie cum ulla angelica substantia (1).

Prob. 4.<sup>o</sup> Ea differre specie existimandum est, quorum præcipuæ potentiæ atque operationes specificè differunt. Atqui intellectus angelicus differt specificè ab animæ rationalis intellectu. Ergo.... Minor probatur, quia quamvis ambo

(1) Vide S. Thom., *Contr. Gent.* lib. 2, cap. 94.



intellectus conveniant in objecto adaequato, quod est ens in tota sua latitudine sumptum, at differunt in proprio et adaequato, unde specificantur potentiae. Etenim objectum proportionatum intellectus angelici est res spiritualis, ac praecipue propria essentia (1), nostri vero intellectus objectum proportionatum est quidditas rei materialis, prout alibi probatum a nobis est (2). Accedit, quod angeli, docentibus Theologis cum S. Dionysio (3), per simplicem intuitum intelligant ea etiam, quae anima humana non nisi compositione ac discursu ex sensibilibus cognoscit (4); qui modus diversus cognoscendi aperte demonstrat, opinor, specificam differentiam animae rationalis ab angelo.

sique cedit  
in perfectione.

**Secunda pars: Anima cedit angelo in perfectione. Probatur.** quia id aperte fluit ex prima parte; tum quia modus imperfectior intelligendi arguit imperfectiorem naturam, tum quia incompleta substantia profecto imperfectior est, quam alia completa ejusdem ordinis et generis. Prob. 2.<sup>o</sup> ex officiis, quae angelis Theologi assignant administrandi corporeum mundum, custodiendi homines, eosdemque illuminandi, etc., (5); haec enim evidenter ostendunt intelligentiam, virtutem, potentiam, dignitatem, atque adeo naturae praestantiam longe humanam superiorem. Nihil dico de daemonum impugnatione, quos saepe, permittente Deo, terribiles, atque ad nocendum paratissimos experitur genus humanum (6). Prob. 3.<sup>o</sup> Hinc factum est, ut non modo fideles credant praestantiam angelorum, sed ipsi etiam gentiles et infideles pro comperto habeant esse aliquas substantias invisibiles superiores homine, quae possunt illi nocere, ac benefacere, a quibus et oracula expectabant, et beneficia petebant, et nocumenta timebant, de quibus in historiis et antiquis Philosophis frequens est sermo, ut notat

(1) Vide Suarez, *de Angelis*, lib. 2, cap. 2.

(2) Vide *Psycholog.*, vol. 2.<sup>us</sup>, num. 430, pag. 804 sequ.

(3) *De divinis nomin.* cap. 7.

(4) Vide Suarez, *de Angelis*, lib. 2; et alios Theologos passim.

(5) Vide S. Thom. 1. p. quaest. 110, 111, 112, 113; Suarez, *de angel.*, lib. 6.

(6) Vide S. Thom. 1. p. quaest. 114; Suarez, lib. 8. Et lege lib. 1. cap. 1, num. 7, 8.

Lactantius (1), Theodoretus (2), et Cyprianus (3), et fusius prosecutus est Suarez (4). Prob. 5.<sup>o</sup> Denique idem probari solet a Theologis ex SS. Litteris ac Patribus (5).

#### SOLVUNTUR DIFFICULTATES

222. **Objic. 1.<sup>o</sup>** Quaecumque habent eundem finem, pertinent ad eandem speciem; nam «numquodque ordinatur ad finem per naturam suae speciei, per quam habet inclinationem ad finem. Sed idem est finis animae et Angeli, scilicet beatitudo aeterna. Ergo sunt unius speciei». — **Respondeo, dist. Major.** Quaecumque habent eundem finem proximum, *conc.*; ultimum, *neg.* Et *contradist. Min.*, *neg.* conseq. (6).

**Objic. 2.<sup>o</sup>** Angelus et anima rationalis conveniunt in ultima differentia specifica. Atqui quae conveniunt in ultima differentia specifica, conveniunt in specie. Ergo... Prob. Major. Ultima differentia specifica desumitur ex eo, quod est nobilissimum in ente. Atqui *esse* intellectuale est nobilissimum in angelo et anima, et commune utrique (7). — **Respondeo, neg. Major.** Ad prob. *dist. Major.* Ultima differentia desumitur ex eo, quod est nobilissimum in ente, et simul maxime determinatum, *conc.*; secus, *neg.* *Disting.* etiam Minor. primum membr. *Esse* intellectuale determinatum, *conc.*; indeterminatum et genericum, *neg.* Alterum membrum Minoris *contradist.* Angelus et anima conveniunt in *esse* generico intellectivo, *conc.*; in *esse* intellectivo determinato, *neg.* Nam, ut jam in probationibus diximus, alio modo est intellectivus

(1) *Divinar. instil.* lib. 2, cap. 15.

(2) Theodoret., lib. 3. *Contr. Graec. affect.*

(3) *De idolor. vanit.*

(4) *Metaphys.* disp. 35, sect. 1, num. 24, seq. Vide eundem Suarez, *de Angelis*, lib. 1, cap. 1, num. 7.

(5) Vide apud Suarez (*de Angelis* lib. 1, cap. 1, num. 3 seqq.), Comimbriae (*De anim. separat.* disp. 1. art. 7), Valentia (in 1.<sup>am</sup> part. disp. 4. quaest. 1), etc.

(6) S. Thom. 1. p. quaest. 75, art. 7, ad 1.<sup>um</sup>; quaest. *de anim.*, art. 7, ad 10.<sup>um</sup>; 2.<sup>a</sup> dist. 3, quaest. 1; art. 6, ad 5.<sup>um</sup>

(7) Apud S. Thom. 1. p. quaest. 75, art. 7, arg. 2; 2.<sup>a</sup> dist. 3, quaest. 1, art. 6, arg. 1.<sup>o</sup>; quaest. *de anim.*, art. 7, arg. 14.



angelus, et alio modo anima; unde diversum gradum et perfectionem specificam intellectivam possident.

**Objic. 3.<sup>o</sup>** Anima videtur ab angelo potissimum differre ex eo, quod corpori uniatur ut forma. Atqui hoc non obstat, quominus sint in eadem specie; nam corpus certe est extra essentiam, ac proinde speciem, animæ. Cum ergo corpus non pertineat ad rationem specificam animæ, potest hæc cum angelo in specie convenire (1).—**Respondeo, neg.** Minor. et probation. Nam quamvis corpus est extra essentiam et speciem animæ, non tamen ordo et relatio ad corpus. Et hoc solum sufficit, ut anima specificè discriminetur ab angelo, cujus essentia repugnat talis ordo ad corpus.—Plura argumenta adversus primam propositionis partem videri possunt apud S. Thomam (2).

**Objic. 4.<sup>o</sup>** cum Gregorio Veneto. Cum duo genera rerum ad invicem comparantur, illud sane nobilius est, in quo id quod eminet, præstantius est, quam quod eminet in altero. Atqui in animarum rationalium genere anima Christi longe superat præstantissimum angelorum. Ergo animarum genus angelis universis absolute præeminet.—**Respondeo, dist.** Minor. Anima Christi longe superat præstantissimum angelorum in donis gratuitis, *conc.*; in naturali perfectione, *neg.*

**Instabis.** Deus in concedendis donis gratuitis semper se accomodat naturæ, ut insinuat S. Thomas (3). Ergo si anima Christi excellentiora dona gratiæ accepit a Deo, naturam habet angelicam præstantiorem.—**Respondeo, dist. ant.** Aliquando, *trans.*; semper, *nego* prorsus. S. Thomas vero illo principio generali congruentiæ utitur loquendo de ipsorum angelorum inter se differentia, ut probet Deum pro varietate specifica distribuere angelis dona sua gratiæ et gloriæ. Cum vero inter naturam et dona supernaturalia non sit ulla proportio, nec in natura possit esse ulla exigentia nec meritum nec etiam dispositio vel ad minimum donum supernaturale, planum est, quod dona gratiæ sint purissime gratuita. Ideoque quamvis Deus angelis secundum specificam naturæ

(1) Apud S. Thom. 1 p. quest. 75, art. 7, arg. 3.<sup>o</sup>; 2.<sup>o</sup> dist. 3, quest. 1, art. 6., arg. 3.<sup>o</sup>; quest. de anim., art. 7, arg. 19.<sup>o</sup>

(2) Quest. de anim., art. 7.

(3) 1 p. quest. 62, art. 6.

distinctionem distribuerit dona gratiæ, nullatenus sequitur, quod non potuerit aliter facere, ideoque magnitudinem gratuitorum donorum non posse esse per se criterium ad iudicandam et mensurandam naturalem rerum perfectionem. Et sic animam Christi angelis secundum naturam imperfectiorem infinitis cumulavit bonis, quibus supra ordinem omnium rerum creaturarum ad infinitam propemodum altitudinem evexit.

**Objic. 5.<sup>o</sup>** cum eodem. Quod est ultimum in executione, primum est in intentione, utpote finis, qui solet esse quidpiam præstantissimum. Atqui homo creationis opera clausit, angelus autem inchoavit. Ergo homo in intentione, videlicet propter dignitatem animæ, prior est angelo, et sic perfectior (1).

**Respondeo, dist.** Homo creationis opera clausit, angelus autem inchoavit, quasi homo sit etiam finis naturæ angelicæ, *neg.* De facto ita accidit, sed absque ullo ordine causalitatis finalis, *trans.* Et *neg.* conseq. Argumentum, ut quidpiam valeat, debet supponere hoc principium absurdum, videlicet naturam angelicam ad humanam ordinari, sicut medium ad finem, quapropter prius angelicam et ultimo humanam creatam esse: nam assertio Majoris solum habet veritatem inter ea, quorum alterum finis, alterum rationem habet medii.

**Objic. 6.<sup>o</sup>** cum eodem. Qui ministrat, minor est dignitate ac perfectione illo, cui ministrat (2). Atqui angeli sunt *administratores spiritus* etiam hominum, utpote in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis (3), quorum etiam sunt custodes. Ergo.—**Respondeo, dist.** Qui ministrat ex necessitate, *trans.*; qui solum ministrat, ut alterius superioris obsecundet præcepto, vel ut alterius indigentia ex charitate succurrat, *neg.* Angeli enim in suis actionibus exterioribus ministrant principaliter Deo, et secundario nobis (4), ut nempe Deo præstent obsequium et suppetias

(1) Apud Coimbricenses, loc. cit.

(2) Luc., cap. 22, vers. 27.

(3) Hebr., cap. 1, vers. 14.

(4) S. Thom. 1 p. quest. 112, art. 1, ad 4.<sup>um</sup>



nostræ imbellicitati ferant. Unde etiam custodiunt hominem, non sicut servi illius, sed eo superiores, docendo, regendo tutando a malis.

Objic. 7.<sup>o</sup> S. Augustini est hæc sententia: *Quemadmodum fatendum est animam humanam non esse, quod Deus est, ita præsumendum, nihil inter omnia, quæ creavit, Deo esse propinquius* (1). Et paulo post scribit, *aliquid esse deterius anima, scilicet, animam bruti, aliquid par, ut angelus, melius autem nihil* (2). Et alibi docet *animas rationales superioribus potestatibus esse officio impares, natura vero pares* (3). Nec aliter sensisse videtur S. Bernardus, cum hæc scriberet: *Spiritus est Deus, sunt et angeli, et hi supra te; sed Deus natura, angeli gratia superiores sunt* (4).

Respondeo cum Eximio Doctore «has et similes locutiones pie exponendas esse vel quoad gradum intellectualem, vel quoad immediatam habitudinem ad Deum, ut ad ultimum finem, et ut ad legislatorem et supremum Dominum, vel quoad gratiæ et gloriæ ac visionis beatæ capacitatem. Et primo quidem sensu videtur loqui Bernardus, et potest sumi ex Augustino (5). In secundo vero ac tertio sensu loquitur idem Augustinus, in primo ac secundo loco supra citatis. At vero in tertio et quarto loco jam etiam citatis existimo non loqui de perfectione naturali præcise spectata, sed de absoluta perfectione, quæ pensatis omnibus tam gratiæ, quam naturæ donis, alicui convenit, et sic verum est secundum absolutam comparisonem nihil esse melius anima rationali, nisi Deum. Dico autem de absoluta comparatione, quia si ad singulas animas fiat comparatio, aliquid infra Deum esse poterit melius, quam aliqua anima, non tamen simpliciter, quia datur anima, quæ absolute omnes angelos excedit, et sic etiam dicit ibidem Augustinus naturam humanam in Christo esse perfectiorem angelicam» (6). Cæterum idem

(1) S. August., de quantitat. anim., cap. 74.

(2) Ibid. Cfr. lib. Octoginta trium questionum, quæst. 54; *Contr. Maxim.*, lib. 2, cap. 25.

(3) De liber. arbit., lib. 3, cap. 11.

(4) De considerat., lib. 5, cap. 3.

(5) *Retract.* lib. 1, cap. 16.

(6) Suarez, De angelis, lib. 1, cap. 1, num. 40.

S. Augustinus alibi disertè docuit veram hac de re doctrinam, cum scripsit: *Angelica natura omnia cætera, quæ Deus condidit, natura dignitate præcedit* (1). Et in altero libro *Retractionum* recognoscens postremum locum, quem in objectione retulimus ex tractatu *Octoginta trium questionum*, videtur locutionem corrigere dicens: *Ubi dixi: Quod omni anima melius, id Deum dicimus, magis debuit dici omni creato spiritu melius* (2).

## ARTICULUS V.

### Utrum omnis anima rationalis sit ejusdem substantialis perfectionis.

233. Quod anima rationalis magnam varietatem admittat perfectionis accidentalis, extra omne dubium est, constatque tum ex generali conditione individuorum cujuslibet speciei, tum ex peculiari conditione animæ, quæ propter suam libertatem varie perficitur actibus et habitibus suis in variis individuis. Non est autem æque certum, quid existimandum sit de substantiali perfectione. Quia vero substantialis perfectio duplex excogitari potest, altera specifica, altera individualis, de utraque institui controversia potest, quærendo primum, utrum una duntaxat sit specifice anima in omnibus individuis, an vero in humano genere contingat, quod in angelica natura, ut nempe sint diversæ species rationalium animarum. Secundo utrum omnes animæ rationales intra eandem speciem sint ejusdem perfectionis individualis, solumque discriminentur accidentibus, an vero secundum ipsam individualem perfectionem substantialiter differant. Verum prima istarum questionum inferius disputanda est, cum sermo erit de unitate specifica hominis. Altera quæstio ingreditur generalem controversiam in *Ontologia* agitatam de identitate vel discrepantia perfectionis substantialis in diversis individuis ejusdem speciei (3); at in præsentia materia

Stans  
questionis.

(1) S. August., De Civit. Dei, lib. 11, cap. 4.

(2) S. August., *Retractat.* lib. 1, cap. 26.

(3) *Ontolog.* num. 94 pag. 273 seqq.



videtur habere specialem difficultatem ex diversitate sexuum: ingens enim apparet discrimen inter virum et feminam, quod merito dubitaverit prudens rerum æstimator, num ex mera perfectionis accidentaliter diversitate proficiscatur. Quamquam ergo quæ in *Ontologia* generatim scripta sunt, sufficere possint etiam ad peculiare dubium de individuali perfectione rationalis animæ dissipandum, placet quædam hic adicere ad pleniorum rei tractationem.

Varie  
sententia.

Quod factum ipsum attinet, inæqualitatem perfectionis individualis substantialis in diversis animabus rationalibus tuetur cum pluribus antiquis Scholasticis longe major pars Thomistarum, prout jam notavimus in laudato *Ontologie* loco, et videre licet apud Cardinalem Aguirre (1), et Collegium Complutense S. Thomæ (2), quibus ad stipulatur ex nostris P. Antonius Rubio (3) et Cosmas Alamanni (4), ac nostris diebus cl. P. Van der Aa (5). Æqualitatem vero perfectionis propugnant præter Thomistas Paulum Soccinatem et Dominicum Soto (6), Scotistæ communiter (7), et nostrates etiam multo communius, ut in *Ontologia* notatum reliquimus. At P. Franciscus Oviedo mediam quamdam eligit viam statuens probabilis prudentique conjectura dici posse, «ex animabus existentibus quasdam esse æquales inter se, et ab aliis inæquales, quasdam inter se similes, et ab aliis dissimiles» (8). Mens S. Thomæ non videtur semper constans fuisse, quemadmodum videre licet in testimoniis in *Ontologia* exscriptis, ex quibus aperte patet excessisse in suo iudicio Cajetanum cum cæcos vocavit (9), eos, qui non putant S. Thomam docuisse animarum inæqualitatem. Et hæc quidem sunt sententiæ circa factum.

(1) *Philos. novo-antiqu.*, tom. 2, disp. 81, sect. 3.

(2) *De anim.*, lib. 2, quæst. 2, num. 118.

(3) *De anim.*, lib. 2, cap. 3, tractat. de pluralit. anim., quæst. 3.

(4) Alamanni, *Summ. philos., tertia secundæ*, quæst. 90, art. 4.

(5) *Psycholog.*, propos. 101.

(6) Quos simul cum aliis antiquioribus Scholasticis relatos videtur in *Ontologia*.

(7) Vide Dupasquier, *De anima*, disput. 12, quæst. 5; et alios in *Ontologia* laudatos.

(8) Oviedo, *De anim.*, controv. 1, punct. 8, num. 34.

(9) In 1.<sup>am</sup> 2.<sup>æ</sup>, quæst. 85, art. 7.

Si vero quæstio instituitur de possibilitate, affirmant animas, et generatim individua ejusdem speciei, posse esse inæqualis perfectionis substantialis PP. Ulloa (1), Arriaga, Oviedo, Painado pluresque alii, qui animabus de facto æqualem perfectionem tribuunt. Fonseca vero, Toletus, Petrus Hurtado, Compton, Quiros, Lossada, et alii e nostris, itemque Sotus, Pontius et Matrius, negant possibilem esse inæqualitatem perfectionis substantialis intra eandem speciem. Cæterum quæstio hæc, quamvis non semper videtur tractata esse sine aliqua contentione, satis dubia est, nec possunt decretoria argumenta pro utralibet parte produci; quid tamen nobis verosimillius videatur, sincere aperiendum est.

224. PROPOSITIO. Quidquid sit de possibilitate, cum nulla sit convincens ratio asserendi substantialem inæqualitatem animarum in diversis hominibus individuis, eas substantialiter æquales esse existimandum est.

Prima pars: Nulla est convincens ratio asserendi substantialem animarum inæqualitatem. Probatur, quia hæc præcipue afferuntur a Thomistis rationes: a) Repugnat generatim individuorum æqualitas; putant enim non posse duo individua simillima esse sub eadem specie b) Magna cernitur inter homines differentia in perfectione operandi. Ergo quemadmodum ex varietate specifica operationum colligitur specifica diversitas substantiæ, ita ex diversa operandi perfectione intra eandem speciem concludenda est inæqualitas aliqua substantialis individualis; tum quia accidentia dimanant a substantia, tum quia non aliud suppetit nobis criterium iudicandi de varietate substantiali, quam ex operationibus ac manifestationibus externis, quæ proinde cum diversæ sunt, diversitatem aliquam in substantia concludere necesse est. γ) Dissensum prorsus videtur, quod anima Christi, vel etiam Deiparæ Virginis, non sit perfectior substantialiter anima Judæ. Atqui non specificè, nam omnes animæ rationales ad eandem pertinent speciem. Ergo... δ) Anima quoque viri diversum organismum requirit, et manifestatur per virtutes atque opera, quæ perfectiorem animam requirunt anima feminea. ε)

Nulla est  
ratio  
convincens  
substantialem  
animarum  
inæqualitatem.

(1) *De anim.*, disput. 1, cap. 4, num. 40.



Quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortitur animam, ut evidenter constat in viventibus diversae speciei; quia meliores dispositiones et perfectius corpus requirit hominis anima, quam lacertae vel plantae. Ergo similiter intra eandem speciem quanto corpus fuerit individualiter melius dispositum, animam exigit individualiter perfectiorem (1). Et confirmatur, quia anima est forma corporis; at forma corporis dispositionibus corporeis commensuretur, et coaptetur, oportet. Atqui corpus in diversis individuis variam organismi perfectionem sortitur, ut experientia constat. Ergo et anima similem perfectionis varietatem habere debet.

Atqui haec aliaque id genus rationes profecto parum firmæ sunt ad concludendum. Ergo nullum idoneum argumentum suppetit, inæqualitatem substantialem animarum intra eandem speciem convincens. Minor probanda est respondendo ad prædictas rationes.

Ad probationem 1) respondeo, *negando* assertum, quod continet ipsissimam Leibnitzii doctrinam communiter rejectam de impossibilitate duorum individuorum perfecte similitudinis (2); et videtur evidenter demonstrari falsum. Sanè incredibile omnino est, quod Deus nequeat facere duas animas aut duas albedines penitus æquales; vel non possit efficere ut duo homines sint æque beati per visiones beatificas omnino pares, cum oppositum satis appareat ex parabola operariorum (3) et ex communi Theologorum sensu; nec item conferre posse duobus hominibus auxilia intrinseca prorsus æqualia, quo redditur de subjecto non supponente celebris illa quæstio theologica, *utrum ex duobus hominibus æquali auxilio præditis possit alter præ altero consentire, etc.* (4). Præterea individua unius speciei non aliam diversitatem requirunt, quam quæ sufficit, ut vere distinguantur, sive ut hoc non sit illud, sed sint duo; idcirco enim differentia individualis appellatur pure numerica. Atqui ut duo vere distinguantur, non requiritur inæqualitas, ut constat non solum in

(1) Joann. Martínez de Prado, loc. cit., num. 8.

(2) Cfr. *Ontolog.*, num. 106, pag. 332.

(3) *Matth.*, cap. 20.

(4) Lossada, loc. cit. num. 80.

personis divinis, sed etiam in duabus lineis et quantitatibus ejusdem mensuræ, etc. (1).

Ad 3) respondeo, *neg.* conseq. quin quidpiam urgeant adjectæ probationes. Primo quia varietates operandi etiam intellectualiter, quas in diversis hominibus deprehendimus, possunt oriri ex accidentalibus principiorum et facultatum perfectione, ex habitibus, ex diversa dispositione organismi, ex diversa perfectione potentialium sensitivarum, quarum operationes sunt intellectui necessariae. Unde sequitur ad melius intelligendum et discurrendum necesse non esse, ut ipsa in se virtus intellectiva entitativa melior sit, ideoque a meliori substantialiter anima profluat. Præterea experientia compertum est in eodem individuo homine pro ætate ac varia organismi dispositione magnam esse operationum varietatem, quantum exercere licet in puerili, adulta, et senili ætate, in sano et ægroto, variosque habitus scientiæ, virtutis, vitiolorum, assæcto: quin etiam non semel evenisse constat eundem hominem in eadem ætate ex morbo, vel alio casu organismi, de rudi factum esse ingeniosum de prudenti delirum aut amentem, vel e converso memoriam perdidisse, et sic quasi in alium prorsus fuisse mutatum. Hinc vero videtur certo colligi ex sola varietate operationum intra eandem speciem in diversis individuis non necessario concludi varietatem substantialem intrinsecam in primo principio illarum: quandoquidem vix apparet in diversis individuis diversitas operationum major diversitate, quæ in eodem individuo ex causis pure accidentalibus existere potest. Ergo certum esse debet argumentum ab adversariis ex diversitate operationum petitum non evincere substantialem inæqualitatem individuorum in eadem specie. Accedit, quod doctrina hæc adversariorum, exigentium diversitatem substantialem in individuis ejusdem speciei pro varietate operationum, ansam aliis præbere potest diversitatem specificam in humanum genus invehendi, nostris potissimum temporibus, cum multorum ubique falsa præcrebescit opinio, contententium non posse ad eandem speciem revocari tantum surpium varietatem tantumque et organicarum et

(1) Cfr. Lossada, *ibid.* num. 87.



mentalium, physiologicarum et psychologicarum notarum discrimen. Semel enim eo facto principio, quamlibet varietatem accidentalem operandi profluere ex varietate substantiali animarum, vix potest assignari principium certum distinguendi specificam a substantiali individuorum diversitate.

**Instabis.** Inæqualitas operationum vitalium necessario arguit animarum inæqualitatem. Nam eo præcise argumento ducimur, ut perfectiorem esse dicamus animam hominis, quam equi, et hujus, quam asini: eodemque criterio utimur ad definiendam perfectionem formarum corporearum inanimatarum.—**Respondeo** 1.<sup>o</sup> retorquendo argumentum, ut illud ipsimet adversarii solvant; nam inæqualitas operationum adhiberi solet ad probandam non solum substantialem utcumque, sed specificam distinctionem, potissimum cum ea tanta est, quanta apparet inter sanum et amentem, fatuum vel hebetem et sapientem, etc.—**Respondeo** 2.<sup>o</sup> *dist.* assertum. Inæqualitas operationum arguit inæqualitatem animarum, quando illa est per se et ex animarum intrinseca exigentia, *conc.*; quando est per accidens, et præter exigentiam animarum, ut reipsa est in hominibus, *neg.* «Ad probationem dicimus inæqualitatem operationum hominis et equi esse per se, quia cum nullum animal organizationis equinæ ratiocinari unquam visum fuerit, merito colligimus, animam ejusmodi organizationis exactivam natura sua ineptam esse ad operationes rationales. At cum plerique homines ratiocinentur, et aliunde constet omnes ejusdem esse speciei, cumque sæpe contingat, ut qui rudis aut amens est, evadat ingeniosus ac prudens, et vice versa, quas mutationes morbo vel ætate passim accidere conspiciamus; jure merito judicamus, omnes animas, quibus debetur organizatio simpliciter humana, per se esse fecundas operationum æqualium, totamque in operando inæqualitatem esse per accidens, ex diversa nempe dispositione corporis, cuius ministerio indiget virtus animæ pro statu unionis» (1).

Ad argumentum  $\gamma$  *negatur* assertum. Si enim dissonum non est animas Christi Domini et Beatissimæ Virginis esse ejusdem speciei, cur dissonum erit easdem in perfectione

(1) Lossada, loc. cit. num. 88.

substantiali convenire cum cæteris animabus, et solum accidentaliter discrepare? Sane Christus Dominus *nusquam... angelos apprehendit, sed semen Abrahamæ apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus similari* (1). Atqui similitudo hæc per omnia sita non est in donis supernaturalibus, nec in temperamento ac dispositione accidentali corporis. Ergo concludendum videtur sitam illam esse in substantiali et entitativa perfectione animæ, vel certe nullam in hoc esse indecentiam, aut si qua est, ostendatur ab adversariis.

Cæterum cum hi ad animam Judæ confugiunt, ut sententiam suam persuadeant, videntur satis innuere non fore indecens, ut anima Christi Domini et Judæ in substantiali naturæ perfectione convenirent, si Proditor fuisset insigni virtute ac sanctimonia præditus. Atqui certum est sceleratissimam animam Judæ potuisse absque ulla substantiæ mutatione sanctis omnibus sanctiorem esse: neque enim major minorve hominum sanctitas ab ullo dono aut perfectione naturæ dependet. Ergo iterum patet adversarios rem non evincere (2).

Quidam objiciunt contra nos hoc decretum Sorbonæ parisiensis: *Si quis dicit omnes animas ab origine esse æquales, errat; quoniam alias anima Christi non esset perfectior anima Judæ.* Verum ipsimet adversarii, v. g. Joannes Martinus de Prado, fatentur decreta Sorbonica Sequanam (quod flumen est Parisiis alluens) non tranare.

Ad argumentum  $\delta$  simili modo *negatur* assertum, ex quo hæc inter alia consequuntur absurda: primum, quod in ipsis animabus daretur, saltem inchoative, differentia sexus. Secundum, quod cum sexus fœmineus sit ignobilior, anima fœminæ semper esset imperfectior virili, cum tamen experientia doceat quasdas fœminas multis viris superiores esse constantia, prudentia, ingenio, etc., quod de Beatissima Virgine Maria quis in dubium revocare audeat?

Dices cum Collegio Complutensi S. Thomæ, fœminarum animas esse imperfectiores ex genere suo, posse tamen aliquam in particulari perfectiorem esse anima viri, sicut,

(1) *Hebr.* cap. 2, vers. 16, 17.

(2) *Cfr.* Ullos, *de anim.*, disp. 1, num. 49.



quamvis generatim intelligere sit «ex se perfectius, quam velle, non tamen quodlibet intelligere est perfectius quocumque velle: aliter actus opinativus erga existentiam Dei, auctoris naturæ, excederet amorem naturalem efficacem illius super omnia» (1). «Sed contra: quid sibi vult illud *ex genere*, ubi supponitur animas viri et femine sub eadem specie infima contineri, solumque disputatur de inæqualitate individuali? Dices fortasse *ex genere* idem esse ac *ex communi ratione animæ femineæ*. Sed quæro, quomodo ratio ista communis, si fundatur in substantia animæ, non est proprie generica vel specifica? Siquidem ab intrinseco infert organizationem valde diversam a virili, et in radicans potentiam generandi plurimum differt a virili anima, præsertim si femina in generando non concurrat active, ut fert sententia communissimæ (2). Sed quid sit de his instantiis, cum non obstante tanta differentia, viri femineque ad eandem speciem pertineant, non est obtrudenda inæqualitas substantialis, donec demonstretur: nam omnia sufficienter explicantur ex varia dispositione corporali et accidentalibus differentiis.

Ad argumentum  $\epsilon$  *dist.* assert. Quanto corpus est melius dispositum, tanto sortitur meliorem accidentaliter animam, *conc.*; substantialiter, *subdist.*: in diversa specie, *conc.*; intra eandem speciem, *neg.*; donec probetur sufficienter. Nam quælibet anima pro sua specifica ratione ac peculiari virtutibus et operationibus requirit proprium modum dispositionis et organizationis in materia. Ex quo perperam infertur, cuilibet varietati dispositionis et organici temperamenti in eadem specie viventium respondere varietatem substantialem animæ; nam idem substantialis gradus perfectionis in anima potest admittere latitudinem graduum in dispositione ac temperamento materiæ aut subjecti informandi. Id evidenter constat in eodem homine, cujus eadem simplicissima anima tantam compatitur varietatem organismi, ut magis minusve apta reddatur specificis suis operationibus eliciendis, unde quæ modo ingeniosissima erat, mox mutata

(1) Collegium Complut. S. Thomæ, *de anim.*, lib. 2, quæst. 2, num. 103.

(2) Lossada, *de anim.*, disp. 2, cap. 4, num. 85.

organica dispositione, appareat fatua, vel in delirium amentiamve incidat, aut etiam penitus lateat in homine, qui omnium mentalium actuum usum amittat, et quasi stipes jaceat. Quare

Ad confirmationem eodem modo respondeo. Forma quidem quandam commensurationem et proportionem servare debet cum materia. Sed undenam probas mihi, quod cuius diversitati organica respondeat substantialis diversitas formæ, cum experientia ipsa manifestum sit in eodem individuo eandem entitative animam multiplex admittere organismi temperamentum ac dispositionem?

Instabis. Organizatio et dispositio corporis a natura ponitur propter animam tamquam finem. Ergo melior dispositio ideo præcise præmittitur in intentione naturæ, ut perfectior adveniat anima. 2.<sup>o</sup> Prima radix accidentium est substantia. Ergo prima exigentia disparis perfectionis accidentium quaerenda est in animæ substantia. Atqui nequit in æqualibus substantiis inveniri exigentia inæqualitatis. 3.<sup>o</sup> Saltem in mare et femina, in quibus disparitas perfectionis non est per accidens, animas inæquales esse dicendum est.

Respondeo ad 1.<sup>um</sup> Instantia est manifesta in organica dispositione fatui vel perpetuo amentis, vel cæci a nativitate, quæ certe non ponitur a natura propter animam fatuam, deliram, cæcam, etc., tamquam finem. Natura enim per virtutem generativam intendit propter animam dispositionem corporis organicam, non quoad defectum, sed quoad positivam dispositionem, utilem ad operationes vitales. Humana itaque virtus generativa cum in omni fœtu intendat animam æque perfectam, in omni fœtu procurat organizationem etiam æque perfectam, seu perfectissimam in linea organizationis humanæ; sed ne ad totam hanc perfectionem deveniat, sæpissime impeditur a variis causis vel adjunctis, quæ per accidens interveniunt, quales sunt exuberantia vel defectus materiæ seminalis, morbi generantium, ciborum insalubritas et cætera accidentia, quæ tempore generationis et prægnationis possunt occurrere. Ab his ergo et similibus causis, quæ nec ubique nec æqualiter concurrunt, provenit inæqualitas temperamenti et organizationis humanæ, quæ proinde per accidens est respectu animæ fœtus et virtutis generativæ,



non vero ex intentione animæ substantialiter perfectioris imperfectiorisve (1).

Ad 2.<sup>um</sup> rogo adversarios, in qua substantia nobis quaerenda sit prima radix exigentiæ illorum accidentium, quibus homo redditur amens, cæcus, etc., itemque illorum, quibus aqua redditur calida, ær siccus, aut terra humida. «Si dicas hæc esse accidentia peregrina, quorum prima radix non est in composito, cui insunt, sed in agentibus externis; id tibi dictum habe super inæqualitate accidentium corporis humani: negamus enim, quod ea inæqualitas sit ab intrinseco, et juxta exigentiam animarum. Et quidem cum pro varietate regionum soleant homines ut plurimum esse diversæ indolis diversique temperamenti, et alii aliis robore et ingenio præstent; si hoc ad animarum intrinsecam exigentiam referendum esset, sequeretur a natura destinatas esse diversas animas pro Europæis, et pro Africanis aut Americanis; diversas item pro Hispanis et pro Gallis, aut Danis: quod ridiculum est. Dicunt Thomistæ, non omnem dispositionem corporis oriri per se ab animæ exigentiâ, sed eam duntaxat, quæ in primo instanti animationis existit. Sed unde probabunt, quod primi instantis dispositio est magis per se, quam dispositio juventutis aut virilis ætatis, quæ aptior est ad ratiocinandum? Unde probabunt, quod non adsit jam a primo instanti animationis defectus ille, vi cujus homo postea nascitur surdus, cæcus, stolidus, monstrosus? Quid certius, quam quod monstra proveniunt ab inordinata coagmentatione materiæ seminalis? et quod parentum morbi plurimum imperfectionis conferunt in fœtum, dum primo formatur?» (2).

Ad 3.<sup>um</sup> dico licet disparitas organizationis in mare et fœmina non sit per accidens respectu speciei humanæ, est tamen respectu cujuslibet animæ in individuo; quia quælibet apta est ad utrumque sexum, ut colligitur ex dictis superioribus de hac re.

Dices, in sacris Litteris videri prostrare quædam hæc contraria. Legitur enim: *Puer eram ingeniosus, et sortitus sum*

(1) Cfr. Lossada, loc. cit., num. 89.

(2) Cfr. Lossada, ibid., num. 91.

*animam bonam. Et cum essem magis bonus, veni ad corpus inquinatum* (1).—Respondeo verborum sensum hunc esse: sortitus sum bonam animi indolem, ad omne virtutis officium ex apta corporis temperie propensam, quæ bonum naturale est, a Deo collatum. Cumque virtutis exercitatione in bonitate proficerem, corporis quoque munditiam et castitatem mihi adscivi, vel servavi. Credi enim non potest, quod Sapiens significet animam, antequam corpus informaret, extitisse, atque in bonitate profecisse.

Plura de his si quis cupiat, adeat veteres Doctores: nobis enim de re non magni momenti, sufficiat, quæ præcipua sunt, innuisse.

Probatur secunda pars propositionis: *Animæ in diversis individuis substantialiter æquales videntur esse*. 1.<sup>o</sup> Non est asserenda positiva unius animæ præ alia excellentia sine idoneis argumentis. Atqui videmus argumenta præcipua adversariorum non rem convincere, sed omnia posse sufficienter explicari cum accidentali duntaxat et extrinseca differentia, proveniente ex diversitate organismi et corpori temperamenti. Ergo... Consequentia bona est: **Minor** probata manet in præcedenti parte. *Major vero probatur*, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate.

2.<sup>o</sup> Certum est differentias operationum simillimas illis, quæ reperiuntur in diversis individuis, reperiri etiam in eodem homine individuo in variis temporibus et statibus. Atqui certum est differentias has in eodem homine provenire ab eadem anima ex varia dispositione ac temperamento corporis. Ergo etiam diversæ operationes ac manifestationes externæ, quæ in diversis individuis cernuntur, possunt similiter oriri ex animabus ejusdem substantialiter perfectionis, corpora diversimode disposita temperataque informantibus. Recta ergo ratio dictat, ut ita de facto esse censeamus, donec contrarium demonstretur. Quandoquidem cum de simillimis effectibus agitur, non novæ ac diversæ causæ temere fingendæ sunt, sed similes asserendæ.

Et confirmari potest cum P. Ulloa exemplo artificum, qui quamvis pares sint in arte, pro conditione tamen instrumentorum, quibus utantur, diversissime operabuntur. Sic ergo

(1) *Sapient.*, cap. 8, vers. 19, 20.